



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KARAGANDENSIS**

**LATINORUM\*ADMINISTRATIO APOSTOLICA KARAGANDENSIS LATINORUM**

**CONSTITUITUR** Cum propter populorum commigrationes, quae his septuaginta annis evenerunt in Foederatis Civitatibus Socialisticis Sovieticis, multi hodie sint in Republica Kazakistanae catholici ritus Latini, horum spirituali curae est prospiciendum non longiore intermissa mora. Eam ob rem Venerabilis Frater Franciscus Colasuonno, Archiepiscopus titulo Truentinus, in Civitatibus Foederatis Socialisticis Sovieticis Apostolicae Sedis Legatus, petivit ut in supra commemorata Republica Kazakistanae initium fieret canonicae dispositionis communatum catholicarum ritus Latini per institutionem Administrationis Karagandensis, et Administratoris Apostolici dicio extenderetur, ad tempus, ad sparsas catholicas communates, quae in finitimis sunt Rebuspublicis Tagikistanae, Kirghizistanae, Uzbekistanae et Turkmenistanae. Nos idcirco, attente huius Administrationis constitutione considerata, auditis probatisque Venerabilis Fratris Angeli Sodano, Archiepiscopi titularis Novacaesariensis, Prosecretarii Status, necnon Venerabilis Fratris Ioannis Ludovici Tauran, Archiepiscopi titularis Theleptensis, Commissionis pro Russia Praesidis, eiusdemque Commissionis consiliis, huic postulationi concedendum esse censuimus. Quapropter, Nostrae usi Apostolicae potestatis et auctoritatis plenitudine, his Litteris territorium Reipublicae Kazakistanae in Administrationem Apostolicam erigimus *Karagandensem* appellandam, iisdem circumscripam finibus, quibus in praesens eadem Respublica terminatur, cuius sedem in urbe Karaganda collocamus. Praelato Ordinario noviter constitutae Administrationis Apostolicae omnia iura tribuimus et facultates ac officia imponimus, quae Episcoporum residentialium propria sunt, congrua congruis referendo, ad normam Iuris Communis, et, donec aliter provideatur, curam pastoralem omnium Christifidelium in Rebuspublicis Tagikistanae, Kirghizistanae, Uzbekistanae et Turkmenistanae habitantium committimus. Haec perficiendi munus delegamus Venerabili Fratri Francisco Colasuonno, eidem facultates dantes necessarias et oportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere iniuncto ad Pontificiam Commissionem pro Russia sincerum exemplar actus peractae exsecutionis mittendi. Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep.

*Prosecretarius Status*

IOANNES LUDOVICUS TAURAN

*Pont. Comm. pro Russia Praeses*

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiarri, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 7, pp. 547-548 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana